De gotorum usque ad Decium imperatorem mortuum ...

Bruno Rappaport

Dissertationem,
cuius pars hoc libello continetur, totam scriptam lingua germanica seorsum editurus sum.

LIPSIAE
TYPIS J. B. HIRSCHFELDII.

CAROLO ROTHE

PATRI CARISSIMO

SACRUM.

I. De fontibus.

De incursionibus, quas Goti usque ad Constantinum in imperium Romanum susceperunt, omnium optime P. Herennius Dexippus Atheniensis[1]) egit, qui res maxime sua aetate gestas et uberrime et summa cum fide protulit. Hic in operis quod inscribitur *Χρονικά* libris duodecim, quae ante Claudium mortuum[2]) facta sint, breviter atque annalium scriptorum modum secutus nominibus archontum et consulum praefixis describit.[3]) Idem de pugnis, quas Romani cum populis qui trans Istrum et Pontum habitabant Scythicis, qui dicuntur, commiserunt, accuratius quam in chronicis disseruit in libello, qui *Σκυθικά*[4]) inscribitur, quod opus ex excerptis, quae nobis conservata sunt[5]), ab Istro a. 238 deleta[6]) usque ad 271 processisse cognosci potest.

Inter eos, qui Dexippum excerpserunt, ceteris excellunt sex scriptores historiae Augustae, qui inde ab Hadriano usque ad Numerianum imperatorum vitas descripserunt. Quibus ut antea viri docti non diffisi sunt ita nostris temporibus aliter de his iudicatur.[7]) Quamvis enim dissentiant[8]) de vitarum auctoribus

1) Fragmenta apud Muellerum, fragmenta historicorum Graecorum III, p. 666—687 et Dindorfium, historici Graeci minores I, p. 165—204.

2) cf. Etymologicum Magnum ed. Gaisford p. 333: Stephanus Byzant. v. *Ἕλουροι;* praeter quos quae proferunt Eunapius ed. Dindorf., hist. Gr. min. I, p. 208; Euagrius, hist. eccl. V, 24; Photius, bibl. ed. Bekker cod. 77 p. 53; cod. 82 p. 64; Niebuhr, corpus script. historiae Byzantinae I, praef. p. XIV sqq.; Dittenberger, die attische Panathenaidenaera, comment. in honorem Mommseni. Berlin 1877. p. 246. adn. 11.

3) Eunapius apud Dindorfium I, p. 207; 208; v. Gordiani 2, 1; Photius bibl. c. 82. p. 64; c. 86.

4) Photius cod. 82 p. 64; Tzetzes, chil. IX, 274 sqq.

5) Böhme, Dexippi fragmenta ex Iulio Capitolino, Trebellio Pollione, Georgio Syncello collecta. Commentationes Ienenses II, p. 1—90. Leipzig 1883.

6) cf. v. Max. et Balb. 16, 3.

7) De eis, qui usque ad a. 1882 tractaverunt, cf. H. Peter, die scriptores hist. Aug. 1865—1882. Philol. 43. (1884) p. 137—194.

8) cf. Dessau, Hermes 24 (1889) p. 337—392; Herm. 27. (1892) p. 561—605

et de temporibus, quibus sint compositae, tamen omnes ad unum tabulas et litteras narrationi intextas fere omnes ab auctoribus ipsis fictas esse putant; epistularum quidem nonnullas, quarum summam aliis ex fontibus deprompserunt, aliqua esse auctoritate.[1]) Quibus scriptoribus, quamvis minore diligentia fontibus usi sint, ita ut nonnulla saepius proferrent[2]), idcirco non parva vis est attribuenda, quod praeter ceteros Dexippi annales secuti sunt, qui saepe ab eis allatus maxime Pollioni permulta tradidit. Atque quae de irruptionibus a Gotis susceptis illi proferunt, omnia Dexippo debentur. Quod inde perspicue cognosci potest, quod narratione consulum nominibus praepositis annalium scriptores imitantur[3]) et Scytharum nomen Gotis attribuunt neque minus de iis, quae Zosimus et Syncellus eisdem de rebus afferunt. Quae cum ita sint, aegre ferendum est, quod inde a Philippo usque ad Gallum imperatorem vitae integrae, praeterea Valeriani vitae maxima pars non ad nos pervenerunt, quibus ipsis temporibus fines Romani ab Gotis permultum invasi sunt.

Multa de eisdem rebus a Gotorum populo his temporibus gestis Zosimus memoriae tradidit, qui in prima operis parte[4]) plurima ex Dexippi chronicis deprompsit[5]); neque enim eis assentiri possum qui eum alio quodam scriptore, qui illius Σκυθικά adhibuit, usum esse censent[6]). Zosimus autem, quia ad narrandas magnas expeditiones a Gotis terra marique susceptas Dexippi chronica semper secutus est, quamvis interdum non diligentem praecipue in locis describendis et temporibus definiendis se praebuerit, tamen gravissimus putandus est auctor.

---

eumque secutus Seeck, Jahns Jahrbb. 141 (1890) p. 609—639; Rh. Mus. 49. (1894) p. 208—224; contra eos Klebs, Histor. Zeitschr. 61. (1889). p. 213—245; Rh. Mus. 45. (1890) p. 436—464; Rh. Mus. 47. (1892) p. 1—52; Mommsen, Herm. 25. (1890) p. 228—292; Wölfflin, Sitz. Ber. bayr. Akad. 1891. p. 465—538; H. Peter, die scr. h. Aug. 6 litterargeschichtliche Untersuchungen. Leipzig 1892.

1) cf. praeter cetera v. Claud. c. 6—12.

2) cf. de Maximo et Balbino electis: v. Maxim. 20; 32, 3; Max. et Balb. 1, 2; 6, 6; Gordian 10, 1.

3) cf. Mommsen, Herm. 25. (1890) p. 255 adn. 3.

4) Zosim. I, c. 1—46.

5) cf. Reitemeieri ed. Zosimi. Leipzig 1884. p. XXIX sq.; Martin., de fontibus Zosimi. diss. Berlin 1866; Böhme, Dexippi fragmenta.

6) Mendelssohn, Zosimus p. XXXIII; Wachsmuth, Einleitung in die alte Geschichte. Leipzig 1895. p. 675.

Eodem de fonte hausta sunt excerpta Anonymi qui dicitur post Dionem, quem praecedente Niebuhrio [1]) cum alii tum de Boor [2]) esse Petrum Patricium demonstraverunt. Hic autem praeter Dionem et Herodianum Dexippo ac post eum Eunapio auctoribus usus est. [3])

Ad hos testes accedunt Georgius Syncellus et Zonaras, ex quibus ille saeculo nono *ἐκλογὴν χρονογραφίας*, quo opere res usque ad a. 284 gestas tractat, secutus Alexandrinos chronographos Panodorum et Annianum composuit, quorum ille Eusebii auctoritate nititur et Dexippi, de quo Syncellus et ipse videtur nonnulla hausisse. [4]) Praeter quos alium scriptorem adhibuit, cuius opus saeculo octavo exeunte conscriptum esse de Boor [5]) demonstravit. Exstat autem de compluribus Gotorum invasionibus [6]) optima apud Syncellum memoria.

Ex quo aliquo modo Zonaras pendet, qui in rebus ab Alexandro usque ad Constantinum enarrandis cum aliorum tum Petri Patricii vestigiis ingreditur [7]); nam eorum, qui hunc solum eius fontem fuisse iudicant sententiam refellunt vel haec, quae Zonaras et Syncellus de clade, quam Persae Valeriano capto acceperunt, proferunt [8]): Sync. p. 716, 5—7 „*Καλλίστου τούτοις ἐπελθόντος τοῦ Ῥωμαίων στρατηγοῦ .... ὃν φυγόντες προεστήσαντο ἑαυτοῖς*“ =

1) Corpus scr. hist. Byzant. I, p. XXIV.

2) Byzantin. Zeitschr. I (1892) p. 13 sqq.; sed Mai, scriptt. vett. nova collectio; Mendelssohn, Zosimi praef. p. XXXIV; Mommsen, Herm. VI (1872) p. 89 sqq. de Johanno Antiocheno ea esse decerpta putant.

3) cf. Schmidt in Zonara a Dindorfio edito VI p. LIV; Martin p. 12; Boehme p. 13; de Boor l. c.; Peter, die geschichtliche Litteratur über die roem. Kaiserzeit. Leipzig 1897. II, p. 174.

4) cf. Gutschmid, Kleine Schriften. Berlin 1889. I, p. 425; Boehme p. 14: Gelzer, S. Julius Africanus u. die byzantinische Chronographie. Leipzig 1880 et 1885. II, p. 185; Krumbacher, Geschichte der byzantin. Litteratur. München 1897 p. 340 sq.

5) Byz. Z. I p. 29.

6) Annis 250/51; 253; 267 factis.

7) Schmidt, Zonar. ed. Dindorf. VI p. 277; 280 sq., Büttner-Wobst, comment. Fleckeisenianae. Leipzig 1890. p. 169. De Petro a Zonara adhibito egerunt: Schmidt l. c. p. 276 sqq.; Boehme p. 9; de Boor, Byz. Z. I, p. 13 sqq. Patzig, Byz. Z. V (1896) p. 26 censet, Zonaram Petri Patricii relationem e libro hausisse, cui nomen indit „Leoquelle“ cuiusque auctorem Traianum Patricium esse Byz. Z. III (1894) p. 471 ratiocinatur; huic se applicat Krumbacher, Byz. Litt. p. 322.

8) Patzig, Byz. Z. V. p. 38.

Zon. XII, 23 (ed. Dindorf. III. p. 141, 29—30) „*οἱ μέντοι Ῥωμαῖοι φυγόντες . . . . στρατηγὸν ἑαυτοῖς ἐπέστησαν Κάλλιστόν τινα*“; *Κάλλιστος* enim ab his falso scribitur pro Ballista; cf. praeterea: Sync. p. 721, 4 sqq. = Zon. XII, 27 (III. p. 152, 21 sqq.); Sync. p. 721, 16—19 = Zon. XII, 27 (III. p. 153, 11—12), quod ab alio auctore non traditum est; Sync. p. 724, 13 sqq. = Zon. XII, 30 (III p. 156, 21 sqq.). Praeter Syncellum autem Zonaras Synopsin a Satha [1]) editam in suum usum convertit [2]), quae chronica maxima ex parte de imperatorum historia deperdita, de Zosimo, de Malala excerpta usque ad annum 1261 pertinent.

Ex reliquis scriptoribus, qui de rebus Goticis egerunt, ad Dexippi opera (v. p. 1) non referendi sunt Aurelius Victor, Eutropius, Festus, qui ad enarrandas res ante Diocletiani imperium gestas eadem illa quae iam non exstat historia imperatorum usi sunt.[3]) Praeter quos nonnulla auctor epitomae, quae antea Aurelio Victori adscribebatur, interdum ex Eutropio repetita memoriae prodit [4]). Eidem in extrema parta multa praebuisse videtur Ammianus.

Hic scriptor, qui Dexippo, ubi de Gotis disserit [5]), usus est, cum aliis tum Iordanis operi subest, quod inscribitur „de origine actibusque Gotorum.“ Iordanes autem omnium solus de Gotis ipsis historiam non tam ipse scripsit quam de opere a Cassiodoro duodecim libris composito excerptam paulo amplificavit. [6]) Ille enim in rebus inde a Philippo usque ad Constantinum describendis praeter Ammianum, cui plurima debet [7]), nonnulla ex Eusebio-Hieronymo mutuatus est, ipse autem ex Orosio, qui Eusebium-

1) Paris 1894.

2) cf. p. 25. adn. 4.

3) Enmann, Philol. 4. Suppl. Bd. (1884) p. 347; 432 sqq., Peter, Litteraturgeschichte II, p. 130 sqq.

4) cf. Enmann p. 404. Peter l. c. II, p. 155 minus recte putavit hoc in libello Herodiani et Dexippi relationes esse coniunctas.

5) cf. Ammian. XXXI, 5. 15—17.

6) Sybel, de fontibus Jordanis. diss. Berlin 1837; Schirren, de ratione, quae inter Jordanem et Cassiodorum intercedat. diss. Dorpat 1858; Köpke, deutsche Forschungen 1859. p. 40 sqq.; J. Grimm, kleine Schriften III. Berlin 1866. p. 171—235; Ranke, Weltgeschichte IV, 2. p. 313—327; plurima profert Mommsen, ed. Jordanis, Monum. Germaniae Historica V, 1. Berlin 1882. praef.

7) Sybel p. 31; Mommsen p. XXXIII.

Hieronymum et Eutropium magna ex parte exscripsit [1]). Cassiodorus vero Gotorum historiam, quantum potuit, inde ab antiquissimis temporibus repetere conatus est et summis laudibus ornavit, ut eos principatu Italiae dignos depingeret. Qua de causa Scytharum res, quorum nomine illa gens a Graecis scriptoribus saepe appellabatur et, ne quid inter antiquissima tempora eaque, quibus Goti ipsi ad Pontum Euxinum pervenerunt, interesset, Getarum quoque, quorum sedes illi postea partim occupabant [2]), eis attribuit. Praeter ea id spectat, ut illi fere semper Romanorum amicitia usi esse videantur; bella igitur ob tributa a Romanis recusata exorta esse docet [3]), bene Gotos de Romanis esse meritos enarrat. [4]) Quod in Cassiodori opus excerpendum Jordanes parum diligentiae consumpsit; nam de maximis quidem expeditionibus a Gotis susceptis perpauca nobis tradidit. [5])

Idem scripsit Jordanes chronica „de summa temporum vel origine actibusque Romanorum“, quae ut Cassiodori [6]) et Prosperi Tironis [7]) chronica et chronica Gallica [7]) maximam partem originem trahunt ex Hieronymo, qui Eusebii chronicis in Latinum conversis nonnulla ex Eutropio hausta adiecit eaque usque ad annum 378 continuavit. Hieronymus autem Isidori quoque, qui „historiam Gotorum, Wandalorum, Sueborum“ composuit, primarius fons fuit. [8])

Ad tempora vero quibus quisque imperator imperium tenuerit, accuratius definienda spectant chronica urbis Romae a chronographo a. 354 conscripta [9]), quae cum Eusebii in linguam Armeniam translatis plerumque congruunt. [10]) Accedunt fasti consulares ab Hydatio a. 470 compositi [11]) quibus cum ex consularibus Constantinopolitanis a. 395 editis, quos chronicon Paschale [12])

1) cf. Moerner, de Orosii vita eiusque historiarum libris VII adv. paganos. diss. Berlin 1844. p. 144.

2) cf. p. 7.

3) v. Get. 13, 76; 26, 134; 29, 146; 30, 154; 47, 244; cf. Sybel p. 44.

4) Get. 21. 111; 112.

5) Get. 20.

6) ed. Mommsen, Mon. Germ. IX, 2. p. 109—163.

7) Mon. Germ. IX, 1. p. 341 sqq.; p. 632—644.

8) Mon. Germ. IX, 2. p. 241 sqq.

9) Mon. Germ. IX, 1. p. 143—148.

10) cf. Mommsen, Mon. Germ. IX, 1. p. 141.

11) Mon. Germ. IX, 1. p. 197—247.

12) ed. Dindorf. Bonn 1832.

quoque sequitur, deprompti sint, haud parva auctoritas adscribenda est. Praeter hos omnes fontes magno numero et inscriptionum et nummorum nobis conservatorum permultis de rebus optime docemur.

Haec habeo, quae de fontibus rerum a Gotis gestarum disseram; nam quoniam hoc opusculo illorum expeditiones post Decium mortuum factae non tractabuntur neque de ceteris scriptoribus, qui de illis egerunt, neque de codice Iustiniano et Theodosiano verba facere oportet.

II. De Gotorum primordiis proeliisque, quae usque ad Maximinum cum Romanis commiserunt.

Priusquam Gotorum in Romanum imperium incursiones accuratius tractemus, necesse esse videtur pauca de origine atque migrationibus proferre, quas antequam cum Romanis congressi sunt, perfecerunt.

Ac primum quidem quod ad eorum nomen attinet, ipsi Gutþiuda id est „Gotenvolk“ se nominabant, quae forma in fragmentis fastorum monasterii Bobbiensis memoriae tradita est [1]), qui aut quarto saeculo aut dumtaxat temporibus Gotorum imperii adscribendi sunt. „Gutonio“ in anulo aureo Tietrossae invento scriptum est.[2]) Quacum scribendi ratione consentiunt scriptores et Graeci et Romani, nam apud Plinium Pytheam Massiliensem secutum n. h. XXXVII, 35 legimus „Gutones“ idemque IV, 99. Tacitus autem Germ. 43 [3]) et Ann. II, 62 Gotones eos nominat. Neque differt a formis a Plinio et Tacito usurpatis „*Γούτωνες*,“ quam formam Casaubonum secutus apud Strabonem VII p. 290 pro „*Βούτωνες*“ scribendam esse puto. Unde elucet vetustiores usos esse scriptores voce quae est Goti [4]) littera t non aspirata; primus vero Ptolemaeus III, 520 aspiratione falso adiecta *Γύθωνας*

1) Ang. Mai, Ulphilae part. inedit. specimen. Mailand 1891. p. 26.

2) Wrede, Sprache der Ostgoten. Strassburg 1891. p. 44.

3) „Gothones“ eos codices vocant, sed Muellenhoff, Z. f. deutsche Altertumskunde IX, p. 244 „Gotones“ scribendum esse censet.

4) De Gotorum nomine egerunt Zeuss, die Deutschen und ihre Nachbarstämme. München 1837, p. 134; J. Grimm, Geschichte der deutschen Sprache. Leipzig 1868, p. 307 sqq.; Wrede, Sprache der Ostgoten, p. 44 sqq.

eos appellat; post quem Romani scriptores eos fere semper Gothos, Graeci Γότθους nominant, quae forma e „Gut-Þiuda enata esse videtur.[1]) Quae forma „Gotthi" etiam in nummis nonnullis invenitur[2]); adiectivi autem forma et in nummis et in inscriptionibus plerumque est Gothicus, rarius Goticus, Gutthicus (C I L XI, 1178), Guthicus (III, 7000), Guticus (XII, 5348), Gutticus (III, 7586), Gotticus (I² p. 258), Ghutycus (XII, 5565).

Graeci autem Gotos, quia eos populosque Germanicos cum eis coniunctos Sarmatiam Europaeam tenentes primum cognoverunt, nomine gentium, quae illas regiones habitabant, Scythas nominaverunt. Quam rem recte perspexit Dexippus[3]), cum Scytharum plurimos esse Gotos diceret, falso auctor v. Gall. 6, 2, cum Scythas partem Gotorum fuisse scriberet, quem in errorem Dexippo auctore parum diligenter usus videtur delapsus esse. Zosimus vero I 37. 2 Alamannis, Zonaras XII, 24 (III, p. 144) etiam Francis Scytharum nomen indit. Interdum Goti Getarum nomine appellati sunt. Getae enim cum antea trans Istrum habitavissent ad septentriones versus, ea regio etiam expulsis plurimis Getarum „Γετῶν ἐρημία" appellabatur.[4]) Quam quia postea Goti obtinebant et gentium nomina inter se simillime sonabant, Getarum nominatio in eos quoque transiit.[5]) Facile igitur fieri potuit, ut Cassiodorus, quo maiorem auctoritatem et amplitudinem Gotis compararet, Scytharum et Getarum historiam Goticae adiecit, qua re commotus J. Grimm contendit eosdem esse Gotos ac Getas.[6])

Jam vero quos ad Germanorum populos Gotorum appellatio pertineret, et antiquis et nostris temporibus non una eademque erat sententia. Ac nos quidem nulli populo nisi illis, qui ipsi

---

1) Zeuss p. 134; Wrede p. 45 adn. 6.

2) cf. Cohen, descr. histor. des monnaies, Tacitus nr. 157—164.

3) cf. Sync. p. 705, 10.

4) Strabo VII, p. 305; cf. Zeuss p. 260 sq.

5) V. Carac. 10, 6; Geta 6, 6; Maxim. 4, 4; Oros. I, 16. 2, alii; cf. Zeuss p. 403; Wietersheim-Dahn, Geschichte der Völkerwanderung. Leipzig 1880/1 I, p. 606 sqq.

6) J. Grimm, Geschichte der deutschen Sprache c. IX; Kleine Schriften III, p. 190 sqq.; p. 232 sq.; eum secuti sunt Krafft, Anfänge der christlichen Kirche. Berlin 1857, p. 77—127; Hahnel, die Bedeutung der Bastarnen für das deutsche Alterthum. Leipzig u. Dresden 1865, p. 19 et 49; Jahn, Geschichte der Burgundionen. Halle 1875, p. 22 adn. 1; quacum opinione omnes fere docti dissentiunt.

se nomine quod est Gut-Þiuda vocabant, appellationem illam attribuimus; qui hoc nomine ceteris populis circa Pontum et Istrum versantibus opponebantur[1]) et ipsi in Ostrogotos sive Greutungos et in Visigotos sive Tervingos dividebantur. Cognatos autem eis fuisse Gepidas testimonio est ipsorum memoria.[2]) Neque scio an eosdem propinquitate Taifali contigerint, qui semper una cum Visigotis nominantur eorumque erant socii in bellis contra Decium, contra Gepidas ac Vandalos, contra Constantinum gestis.[3]) Etiam pristinam provinciam Daciam obtinebant finitimi Visigotorum[4]), quibuscum postea Galliam occupaverunt.[5]) Iniuria autem nonnulli viri docti nomen Gotorum etiam aliis mihi quidem videntur attribuisse maxime Procopium secuti, qui omnes populos trans Istrum et Pontum Euxinum habitantes Gotos appellavit ut Gepidas[6]), Vandalos[7]), Sciros[8]), Rugios[9]), etiam Alanos[10]), qui fortasse ne Germani quidem putandi sunt.[11])

Haec fere de nomine; de sedibus autem primus Pytheas Massiliensis rettulit, quo usus Plinius[12]) narrat Gotos aestuarium Oceani Metonomon, quod hodie dicimus Kurisches Haff, accolere et a finitimis electrum emere. Neque enim quod Muellenhoff[13])

1) Mamert. genethl. Maxim. 17; Ammian XXXI, 3. 7 et 8; Zos. I, 42; IV, 25. cf. Sybel, Entstehung des deutschen Königthums. Frankfurt a./M. 1881. p. 175; Bessel „Gothen" apud Erschium et Gruberum sect. I, t. 75, p. 149.

2) Jord. Get. c. 17; Kropatscheck, de Gepidarum rebus. diss. Halle 1869, p. 10 sqq.

3) Jord. 16, 21; Mamert. genethl. Maxim. 17; Zos. II, 31. 3.

4) Eutrop. VIII, 2.

5) Gregorius Turonicus IV, 9; cf. Schafarik, Slavische Alterthümer. Leipzig 1843. I, p. 432. De Taifalis plurima protulit Zeuss p. 411; 433—35; quocum omnes fere nostrorum temporum scriptores hos Gotos nominant, sed cum eis Bessel p 149 et Much, deutsche Stammsitze. (Halle a./S. 1892), dissentiunt.

6) Bell. Vand. I, 2.

7) B. V. I, 2; bell. Got. IV, 5.

8) B. G. I, 1.

9) B. G. III, 2.

10) B. V. I, 3; b. G. I, 1.

11) A Dahnio etiam omnes orientalis Germaniae populi Goti appellantur: die Könige der Germanen II, p. 51; Urgeschichte der german. u. roman. Völker. Berlin 1881; Deutsche Geschichte I, p. 100. Gotha 1883; cf. Baumstark, Pauly Real-Encykl. III, p. 922; Kropatscheck p. 8 sqq.

12) n. h. XXXVII, 35.

13) Deutsche Alterthumskunde. Berlin 1870. I, p. 479.

et Dahn[1]) hoc loco pro tradito Guionibus" aut „Gutonibus" (Gotonibus, Guttonibus) esse legendum „Teutonibus" putant, eis assentiri possum, quia primum quidem Plinius hoc nomen alias secundae declinationi adscribit[2]), deinde non est causa, quod existimemus iam Pytheam Teutonorum sedes, quae haud dubie circa Moenum inferiorem erant, ad mare Suebicum transposuisse. Quare etiam loco paulo inferiore Zeussium (p. 135) secutus Plinium „Teutonis" errore inductum scripsisse censeo, quia pro nomine quod Pytheas exhibebat *Γουτονοῖς* sive *Γοττονοῖς* falso legerat *Τευτονοῖς*.

Ab aestuario igitur Oceani Metonomon[3]) per sex milia stadiorum Goti oram accolebant, id est ab inferiore Vistula usque ad inferiorem Guttalum — hodie autem Pregel appellatur — quod flumen ab eis nomen acceperat.[4]) Vandiliorum autem partem eos esse Plinius narrat (IV, 99), quo nomine incolas Germaniae ad orientem spectantis significat. Nam quod Jordanes contendit[5]) Gotos ex Scandinavia in sedes Germanicas venisse, quamquam nonnulli viri docti[6]) probarunt, tamen mea quidem sententia e contrario Goti ex Germania Scandinaviam petiverunt. Jam Tacitus[7]), qui apud Gotos regibus maiorem potestatem quam ceteros apud Germanos fuisse exponit, — hoc autem primum de Gotorum internis rebus traditur — eos trans Lugios sedes habuisse rettulit. Quos cum mare ipsum accoluisse non dicat, conicere licet Gotos eius temporibus iam ad meridiem migrare coepisse.[8]) Cui opinioni adstipulatur Ptolemaeus[9]), qui Gotos maris accolas non fuisse scribit, quamquam certus testis non est, cum falso Venedos in oram maritimam transposuerit eorumque ad sedes Gotorum definierit. Taciti autem temporibus sedes Gotorum translatas fuisse atque eos iam antea migrare coepisse fortasse inde apparet, quod etiam eorum

1) Urgesch. I, p. 139.
2) n. h. IV, 99; XXXV, 25.
3) Plin. XXXVII, 35.
4) Plin. IV, 100.
5) Get. c. 4.
6) Schafarik I, 405; Hahnel, die Bedeutung der Bastarnen p. 63 sqq.; Marcks, Festschrift der 43. Philologenvers. Bonn 1895. p. 179.
7) Germ. 43.
8) cf. Zippel, deutsche Völkerbewegungen in der Römerzeit. Progr. Königsberg i. Pr. 1895. p. 34.
9) III, 5. 20.

pars sub Marobodui imperio fuisse videtur [1]) et Catualda, qui ipse non erat Gotus, cum Maroboduum fugeret, ad Gotos se contulit, horum igitur sedes a Marcomannorum iis temporibus non ita longe afuisse possunt.

Proximis temporibus nihil de Gotis comperimus, donec novis sedibus ad Pontum Euxinum occupatis imperii Romani finibus appropinquant. Quomodo autem et quando Goti e Germania orientali, quam Ptolemaeo auctore secundo post Christum natum saeculo medio habitabant, ad Pontum Euxinum pervenerint, pro explorato ut non habemus ita hoc quidem constat bellum Marcomannicum, quod vocatur, Gotorum migratione incipiente esse motum.[2]) Traditur enim [3]) superiorum barbarorum impetu pressos nonnullos populos ad Romanos fines accessisse et sedibus in imperio Romano denegatis aggredi eos coepisse. Ac primum quidem bellum intulerunt Romanis Marcomanni et Quadi, quorum socii iam belli initio Victuali, incolae Germaniae orientalis, erant [4]), qui postea cum Tervingis et Taifalis Daciam tenebant [5]). Qui ubi longius processerunt, Astingi, Vandalorum pars, ipsi quoque ad proficiscendum impulsi in Daciam provinciam pervenerunt [6]), ubi post varias pugnas cum Costubocis et Lacringis commissas, qui et ipsi bello Marcomannico eas in regiones pervenerant [7]), sedes et stipendia acceperunt, pro quibus una cum Lacringis M. Aurelium bello Marcomannico adiuverunt.[8]) Multo igitur ante Gotorum invasionem populi Germanici Romanorum sub imperio maximam partem Daciae tenebant; praeter eos enim Bastarnae, et hi natione Germani, septentrionali in Dacia habitabant. Dein-

---

1) Strabo VII, p. 290; cf. p. 6.

2) Zeuss p. 402; 425; Bessel p. 148 sq.; Muellenhoff, deutsche Alterthumskunde II, 91; Wietersheim-Dahn I, p. 28; 134 sqq.; 209 sqq; Schiller, römische Kaisergeschichte I, 2. Gotha 1883. p. 642 sqq.

3) V. M. Anton. 14, 1.

4) V. M. Anton. 14, 1; cf. 22, 1.

5) Eutrop. VIII, 2; cf. Ammian. XVII, 12.

6) Dio LXXI, 12; Eutrop. VIII, 13; Oros. VII, 15. 8.

7) cf. Much, Stammsitze p. 116. „Λάκριγγοι“ scribendum esse cum v. M. Anton. 22. 1 et Petr. Patr. fr. 7 (apud Muellerum, fr. hist. Graec. IV, p. 186 = Dind. I, p. 428) contra Dionem LXXI, 12 qui „Δάκριγγοι“, praebet, eruit Muellenhoff, Z. f. deutsche Alterthumskunde IX, p. 432 sq.; Hermes II (1867) p. 318.

8) Dio, LXXI, 12; Petr. Patr. fr. 7.

de a Gotis iamiam ad meridiem progressis cum gentes Germaniae orientalis premerentur, Cotini quoque Celtici[1]) et Buri Suebici[2]) Romanos fines aggressi sunt. Neque minus Taifali Gotis finitimi et Gepidae participes huius belli videntur fuisse.[3]) Neque absurdum videtur, cum bello Marcomannico, quod Gotorum migratione effectum esse verisimile est, populi nonnulli interfuerint, quos postea una cum eis trans Istrum habitantes videmus, ratiocinari eo ipso tempore illos ad Pontum Euxinum migrare coepisse.[4]) Qua de re Jordanes solus refert[5]), qui vel ipse vel per auctorem suum Cassiodorum pendet ab Ablabio, qui quamquam historiam Gotorum videtur scripsisse, nil tamen certi de ea constat.

Ipsa autem Gotorum migratio ita facta videtur, ut primo iter secundum Vistulam facerent, quo fortasse Vandalorum pars ad proficiscendum impellebatur. Hinc rege Filemero duce ad orientem profecti in Oium, in regiones uliginosas, pervenerunt, quae paludes in Wolhynia ad flumen, quod hodie appellamus Pripet, sitae sunt.[6]). Borysthenem autem transgressi Goti in Spalos inciderunt, qui populus ceterum ignotus[7]) inter Tanain et Borysthenem[8]) sedes habebat. Quibus devictis ad oram Ponti Euxini septentrionalem pervenerunt.[9])

Huius migrationis causae prorsus ignotae sunt nisi quod eos et novarum sedum desiderio et a gentibus ab oriente progressis compulsos esse conicere licet. Neque magis constat, num uno eodemque tempore unoque agmine universus populus profectus sit.

Jam vero quas pugnas Goti cum Romanis commiserint, enu-

---

1) Tacit. Germ. 43; Dio LXXI, 12. 3.

2) Tacit. Germ. 43; Dio LXXI. 19; LXXII, 2; 3; v. M. Anton. 22, 1.

3) Ut v. M. Anton. 22. 1 Gepidae „Sicobotes" appellantur ita v. Claud. 6. 2 „Sigypides". Illud Johannes Malalas XII, p. 291 (ed. Bonn.) demonstrare potest, sed nimis incertus auctor est.

4) Pallmann, Geschichte der Völkerwanderung I. Gotha 1863/64, p. 1 putat circiter a. 160, Wiet.-Dahn I, p. 141 circ. a. 150 id esse factum.

5) Jord. Get. c. 4.

6) Muellenhoff in indice ad Jordanem a Mommseno editum.

7) Schafarik I, 319 censet eos cum Hunnis cognatione fuisse coniunctos.

8) Plin. n. h. VI, 22.

9) Jord. c. 4; Wiet.-Dahn I, p. 140 sqq.

cleandum est. Ac primum quidem Gotorum partes bello Marcomannico primum cum Romanis manus conseruisse nescio an et de eis quae supra demonstravi et hinc conici possit: vita enim Max. 1,5 narratur imperatorem Maximinum in Thracia patre Goto nomine Micca, matre Alana nomine Ababa esse natum; quod Jordanes [1]) ipse quoque profert usus Symmachi historiarum quinto libro, qui e vitae scriptore hausisse verborum similitudine evincitur.[2]) Maximinus autem cum sexagesimum quintum annum agens a. 238 necatus esset[3]), a. 173 natus est. Colligi igitur potest aut Gotorum quoque partes cum aliis Germaniae orientalis populis bello Marcomannico Romanorum imperium aggressos ab eis in Thracia sedes accepisse aut Miccam eo bello captum huc venisse. Quod Micca mulierem Alanam in matrimonium duxit, non est mirum, quia Alani partim trans Istri capita habitabant et bello Marcomannico socii erant Germanorum.[4]) Qua de causa Dessau non recte inde, quod Goti et Alani aliquo modo coniuncti videntur quarto saeculo exeunte scriptorem talia esse ementitum conclusit.[5]) Neque magis facio cum Hermanno Peter[6]), qui putat scriptorem Maximino patrem Goticum fuisse finxisse, ut Maximinum Daiam, qui Gotos secum haberet, eo tangeret. Quam coniecturam falsam esse vel inde apparet quod Lactantius[7]), qui a Petero auctor profertur, gentem, de qua Maximinus Daia custodes suos sumpsit, non appellavit, sed eam a Gotis e sedibus suis pulsam esse dixit.[8]) At alia accedunt, quibus nescio an illius loci de Maximini origine testimonium infirmetur. Scriptor enim quod Maximini iuventutem descripsit usus Herodiano, qui VI, 8,1 narrat[9]) „*ἦν . . . τὸ μὲν γένος τῶν ἐνδοτάτω Θρᾳκῶν καὶ μιξοβαρβάρων*“, non est absurdum putare eum illud confinxisse, ut hoc Herodiani accuratius

1) Get. 15. 83; Rom. 281.

2) cf. Mommsen ed. Jord. p. XXXIX; de Symmacho cf. Usener, anecdoton Holderi. Wiesbaden 1877. p. 18. Symmachus, qui erat consul ordinarius a. 485, historiam Romanam septem libris composuit.

3) Chron. Pasch. I, p. 501 (ed. Bonn.); Zonar. XII, 16.

4) V. M. Anton. 22. 1.

5) Hermes XXIV, p. 359sq.

6) Die script. hist. Aug. p. 35 adn. 1.

7) De mortibus pers. 38.

8) Jung, romanische Landschaften des röm. Reichs (Innsbruck 1881.) p. 404 adn. 8 putat eos fuisse Carpos.

9) Eum secutus Joh. Antioch. fr. 141.

definiret.[1]) Qua de causa hoc uno testimonio niti non possumus, ut demonstremus interfuisse Gotos bello Marcomannico.

Ex eis autem, quae posteris temporibus ad Daciae fines facta sunt, Gotos adfuisse conicere, non certis argumentis colligere licet. Anno enim 180 Dacorum liberorum[2]) pars e sedibus trans Carpatum montem sitis pulsi ab Sabiniano Daciae praefecto hac in provincia collocati sunt[3]); quos Gotorum adventu esse motos est verisimile, quamquam hac de re fontes tacent. Quattuor annis post a Romanis „πρὸς τοὺς ὑπὲρ τὴν Δακίαν βαρβάρους“ pugnatum est, quo bello Pescennius Niger et Clodius Albinus praeter ceteros floruerunt[4]); fieri autem potuit, ut ita a Dione Goti significarentur, qui e sedibus ad Pontum Euxinum sitis paulatim contra Daciae fines progressi erant.[5]) Eodem tempore populi collocati, in Dacia, Germani haud dubie natione, imperium Romanum recusaverunt.[6]) Quo commotus haud scio an Commodus limitem Dacicum posuerit.[7])

Septimio Severo autem imperatore Goti, a quibus finitimae gentes ad Daciae fines aggrediendos impellebantur, ipsi infesti esse coeperunt. Nam tum primum in Daciam impetum facere videntur animum induxisse.[8]) Circa annum enim 196 „Scythae“ magnum bellum paravisse dicuntur, sed ingenti tempestate, qua tres ex nobilissimis viris in consilio necati sint, a suscepto deterriti esse. Cum autem eos iam illis temporibus in Sarmatia sedes habuisse verisimile sit et Scytharum appellatione eos potissimum significari constet, illa prima de impetu in imperium Romanum ab his parato narratio iudicari potest. Est autem mentione dignum eo ipso tempore, imperio Septimii Severi ineunte, Olbienses, qui ad id tempus fuerant liberi, oppidum imperii Romani fidei commisisse, nescio an Gotorum processu commotos; omnium enim im-

1) Mommsen, Hermes XXV, p. 268.

2) De quibus scribit Wiet.-Dahn I, p. 605 et adn. a.

3) Dio LXXII, 3.

4) Dio LXXII, 8; Borghesi, oeuvres VIII, p. 476; Jung, Fasten der röm. Provinz Dacien. Mit Beiträgen zur römischen Verwaltungsgeschichte. Innsbruck 1894. p. 24 sq. Joh. Malalas XXII, p. 281, qui est incertus auctor, bellum Gepidis esse illatum tradit.

5) Wiet.-Dahn I, p. 153.

6) V. Commodi 13. 5.

7) Mommsen, röm. Gesch. V, p. 208; Jung, Fasten p. 133 sqq.

8) Dio LXXV, 3. 1.

peratorum Romanorum primum Septimium Severum in nummis expresserunt[1]) et eius filiique in honorem thermas aedificaverunt.[2]) Idem imperator, ut illis ab hostibus fines Daciae in futurum tueretur, omni cura studebat; eo enim tempore legio V. Macedonica ex Moesia inferiore Potaissam transducta est[3]), ex nonnullis oppidis coloniae et municipia facta sunt[4]), viae denique imperatoris iussu munitae et aedificia militaria constructa sunt.[5]) Quibus consiliis magis quam tempestate illa Goti ab impetu in Daciam faciendo deterriti esse videntur.

Mortuo autem fortissimo imperatore Septimio Severo Goti impetum iam antea animis conceptum perpetraverunt. Anno enim 214 Caracalla in orientem profectus Gotos vicisse dicitur ab auctore v. Caracallae 10, 6 et Getae 6, 6. Cui rei fidem ut antea habuerunt, cum eam primam de bello a Gotis Romanis illato recte relatam putarent, ita nostra aetate viri docti denegaverunt. Inter quos viros Bessel[6]) p. 99 non dubitat, quin Caracallae ipsius aetate illud facete dictum, quod narravit auctor v. Car. cum victoriam Gotorum referret, prolatum sit; sed falsam eius causam ab eo referri: Caracallam enim esse Geticum appellatum non propter Gotos sed propter Dacos victos, quibuscum tum esse pugnatum et quos Getas esse appellatos Dio (LXXVIII, 27. 5; LXVII, 6. 2) tradidisset. Qua in re etiam Mommsen, Roem. Gesch. V, p. 217 adn. 1 Besselium fere secutus esse videtur, quamquam dubitat, num facetiae tum factae sint. Sed a scriptore dictum illud fictum esse censeo, quae sententia nescio an eo confirmetur, quod eodem loco auctor imperatori cognomen Alamannico ipse indidit, quamquam id primum Claudium Goticum accepisse constat, scilicet quia compertum habebat Alamannos ab eo victos esse. Eiusmodi autem facete dicta a scriptoribus h. Aug. non aliena fuisse ex eis apparet, quae

1) Köhne, description du musée de feu le prince Kotschoubey. Petersburg 1857. I, p. 83 sq.; C I L III, p. 147; Latyschev, inscriptiones antiquae orae septentrionalis Ponti Euxini. Petersburg 1885 et 1890 I, p. 72.

2) Latyschev I nr. 97.

3) Mommsen C I L III, p. 160 sq.; Gooss, Archiv für siebenbürg. Landeskunde XII (1874) p. 165.

4) Dig. L, 15. 1; 8; 9; cf Marquardt, röm. Staatsverw. I. Leipzig 1881. p. 311.

5) C I L III, 905; 3387; cf. Gooss p. 163, Jung, roman. Landschaften p. 388 sq., Schiller I, p. 732; Mommsen, röm. Gesch. V, p. 208.

6) Besseli argumenta in universum recte refellit Drexler, Caracallas Zug nach dem Orient. diss. Halle 1880. p. 21.

et v. Gord. 34, 3; 4 et v. Gallien. 6,3—7 et v. Aurel. 30,4 proferuntur, hoc enim loco Aurelianus, qui Carpos vicerat, ipse omnino demens cognomen, quod est Carpisculus, sibi dedisse traditur. Quae cum ita sint, iudico scriptorem non de Gotis victis rettulisse, ut facetias traditas interpretaretur, sed ad eas proferendas victoria, quae memoriae erat prodita, commotum esse. Quod autem Bessel l. c. Dacos Caracallae temporibus Getas esse putatos ex iis, quae Dio LXVII, 6. 2 profert, concludi posse putat, Dio, qui non multo post scripsit, eo ipso loco demonstrat Getas et Dacos inter se differre, hos autem illorum nomine a nonnullis Graecis, non a Romanis appellari. Quam rem tantum abest, ut falso rettulerit, ut contra Getas etiam Dacorum nomine a Romanis significari cognoscamus.

Argumenta igitur contra hunc locum prolata quamvis falsa sint iudicanda, tamen, ut sunt scr. h. Aug. non semper magna fide digni, nobis quaerendum est, num aliis de causis quae de ea re proferuntur improbanda sint. Sed quod ceteri scriptores nil hac de re produnt, ut dubia illa videantur efficere non potest. Nam Dionis narrationem Xiphilinus mutilam nobis tradidit [1]); Herodianus autem de rebus hoc tempore gestis tam pauca protulit, ut Caracallam in Dacia versatum esse omnino non commemoraret. Jordanem vero non diligenter singula proelia a Gotis commissa enumerasse non est mirabile, neque magis mirabimur quod Zosimus, cum omnia bella a Caracalla gesta silentio praeteriret, de hac re mentionem non fecit. Quare quamquam diserte et plane nobis non traditur, his iam temporibus Goti oram Ponti Euxini accoluisse, tamen e rebus, quas supra exposuimus, satis dilucide cognoscore nobis videmur.

Sed ne cum Besselio (l. c.) miremur, quod per viginti annos impetum denuo fecisse Gotos non audimus, primus Caracalla annuis eis praebitis in futurum tempus pacem firmavisse videtur [2]); deinde non habemus, quod omnes uno tempore ad Pontum Euxinum pervenisse putemus, sed ut saepe Germani migrabant [3]), fieri potuit, ut antea pars eorum eo perveniret, circa a. 230 autem tota

1) Nisleo, de bellis ab Antonino Caracalla in Germania et Sarmatia gestis annis 212—214. (diss. Breslau 1866.) p. 21, quod Jordanes et Zosimus tacent, dubitationem offert.

2) Etiam Mommsen, röm. Gesch. V, p. 218 adn. 1 coniecit Gotos fortasse iam ante Gordianum tributis solutis avocatos esse ab irruptionibus.

3) C. Platner, Forschungen zur deutschen Geschichte 20, p. 165—202.

eorum multitudo eo colligeretur.[1]) Tum regiones orae septentrionalis Ponti Euxini eis erant subigendae, priusquam imperium Romanum maioribus viribus aggrederentur. Neque vero omnes incursiones a Gotis factas consentaneum est relatas esse, cum ne maioribus quidem postea magnum momentum tribueretur.

Sed Caracalla vere a. 214 Roma, ubi hieme versatus erat[2]), ad Danuvium profectus est, ut apud Germanos, qui trans id flumen habitabant, imperii auctoritatem confirmaret[3]), deinde in Daciam iter fecit[4]), ubi cum Gotis pugnavit[5]), qui Daciae fines appetebant. Ab his sive pulsi sive socii arcessiti Daci liberi quoque hanc in provinciam invadebant.[6]) Hostibus nonnullis proeliis devictis[7]) Caracalla ante tempus bello finem fecisse videtur[8]), quod praeter omnia Parthis bellum inferre ei erat cordi. Itaque cum Dacis foedus iniit, ad quod firmandum obsides illi dederunt.[9]) Eo ipso tempore cum Gotis pax facta est atque Caracalla annua Gotis praebuit[10]), ut tranquillitatem Daciae confirmaret; Goti autem ei auxilia miserunt. Caracallam enim contra Parthos profectum „Scythae" secuti sunt[11]), quorum nonnulli eius ipsius erant custodes Quae appellatio apud Graecos scriptores ad Gotos cum pertineat et Caracalla Germanos praeter ceteros amavisse dicatur[12]), non dubium est, quin „Scythae" illi Goti putandi sunt, quo quod de proeliis a Caracalla cum Gotis factis traditur, optime confirmatur.

Quae proelia — et ea non ita gravissimi momenti — com-

1) cf. Pallmann I, p. 39.

2) cf. Eckhel, doctr. num. VII, p. 211; Cohen, Caracalla nr. 137—139; 249—251; Drexler p. 8 sqq.

3) Dio LXXVII, 20; Herod. IV, 7.

4) Dio LXXVII, 16. 6; LXXVIII, 27. 5; v. Carac. 5. 4.

5) Apud Wiet.-Dahnium I, p. 158 et 605 legimus aut in Thracia aut in Asia concursum fuisse, sed de proeliis illis in regionibus commissis nihil traditur, Gotos autem iam tum tam longe progressos esse aut expeditiones maritimas fecisse non est verisimile.

6) Quod haud scio an ex eo colligi possit, quia ab eis obsides dati sunt; cf. Dionem LXXVIII, 27. 5.

7) V. Caracalla 10, 6; Getae 6, 6.

8) Dio LXXVII, 16. 6.

9) Dio LXXVIII, 27. 5.

10) cf. p. 15; Mommsen V, 218 adn. 1; Dio LXXVIII, 17. 3 scribit a Caracalla multo maiorem pecuniam quam antea barbaris esse solutam.

11) Dio LXXVIII, 5. 6 et 6. 1.

12) Herod. IV, 7.

missa sunt aestate aut, si extremum tempus ponimus, autumno a. 214; nam e Dacia per Thraciam itinere [1]) facto Hellespontum transgressus Pergamum Asiae pervenit imperator, inde Ilium, unde profectus Nicomediae hiberna egit [2]), et ante huius anni finem Romae fratres Arvales pro imperatoris Nicomediam adventu vota solverunt.[3])

Macrino imperatore Daci denuo in Daciam invaserunt [4]), cui M. Agrippa tum praeerat [5]); utrum a Gotis longius progressis pressi an eorum socii fuerint, diiudicari non potest.[6]) E narratione tamen, quae est de Maximini cum Gotis commercio [7]), colligi potest illos tum propter foedera a Caracalla icta quievisse, nisi scriptor vitae Maximini e suorum temporum condicione hoc ementitus est.

Jam impetus denuo a Gotis factus esse non traditur. Inter barbaros, qui anno 233 Danuvium transgressi et Illyriam aggressi sunt, Goti fuisse non videntur, quia illi ab Herodiano [8]) Germani appellantur.[9]) His autem ipsis temporibus usque ad annum 238, quo primum Goti longius in imperium Romanum progressi sunt, omnem eorum populum ad Pontum Euxinum pervenisse tractusque ibi sitos sibi subiecisse necesse est.[10])

Quam expeditionem priusquam enarro, pauca de populis,

1) Pick, die antiken Münzen von Dacien u. Moesien. I. Berlin 1898, p. 195 coniecit Caracallam, qui in nummis Marcianopolis persaepe effingeretur, in orientem profectus hoc in oppidum pervenisse; cuius in nummis quod imperator barbarorum victor celebratur (Pick I, nr. 682—684), eos et arcum figuris insignem in nummis expressum (nr. 694; 695) ad Goticum bellum bene finitum pertinere haud scio an concludi possit. Sed figuras illas Septimii Severi eiusque familiae esse, arcum igitur eo imperatore esse constructum, cum Pickio censere non possum. Nam primum quidem arcum, qui Caracallae in nummis effingitur, hoc ipso imperatore exstructum esse verisimilius est, deinde figuras illas non imperatorem eiusque familiam puto sed deos, quos in simili eiusdem oppidi arcu (nr. 1166), qui et ipse ad huiusmodi res spectat (cf. p. 22), etiam Pick I, p. 316 intellegendos esse iudicat.

2) Dio LXXVIII, 16. 6; 18; Herod. IV, 8; v. Carac. 5, 8.

3) C I L VI, 2103. b.

4) Dio LXXVIII, 27. 5.

5) Dio LXXVIII, 13.

6) cf. Nisle p. 22.

7) V. Maxim. 4, 4; 5.

8) IV, 7.

9) Wiet.-Dahn I, p. 196 putat, impetum in regiones circa Istrum quoque fuisse conversum et Dexippum „Σκυθικά“ sua coepisse inde ab hoc bello, quod irruptione a. 238 esset continuatum.

10) Wiet.-Dahn I, p. 209sq.

qui regiones illas tenebant, addere placet. Habitabant enim tum temporis in Sarmatia Europaea Alani, quorum pars Tanain transgressa prima a Gotis subiecta est. Plurimi autem harum regionum incolae attribuebantur populo cuidam multas in gentes diviso, quem Romani Sarmatas, Graeci plerumque Scythas appellabant, quod nomen Gòtis quoque a Graecis scriptoribus est inditum. Trans Borysthenem autem ad Carpati partem quae in orientem versus spectat sub imperio Romanorum habitabant Bastarni, qui primi Germanorum ad Pontum pervenerant [1]) et iam secundo a. Chr. n. saeculo ineunte videntur Olbiam aggressi esse [2]); postea autem a Gotis subacti ab eis trans Istrum pulsi sunt.[3]) Quorum pars, quae e Peuce insula Peucini nominabatur,[4]) una cum Gotis in imperii Romani fines invasit.[5]) Sciri quoque trans Istrum habitabant [6]), qui iam secundo a. Chr. n. saeculo ineunte Olbiam erant aggressi.[7]). Fluminum autem Hierasi et Pyreti [8]) accolae erant Thracii Carpi.[9]) Qui Maximino fere imperante in Gotorum potestatem redacti inde ab eo tempore aut una cum eis aut sine eis regiones ad Istrum sitas diripuerunt.[10]) Deinde a Gotis latius vagatis pulsi partim sub Aureliano partim sub Diocletiano in agro Romano collocati sunt.[11])

In Dacia autem, qua vergit ad occidentem, a belli Marcomannici temporibus habitabant Astingi Vandalorum pars, quibus ceteri Vandali fere sub Aureliano coniuncti esse videntur. Permagnus erat igitur numerus Germanorum in Dacia habitantium,

---

1) Strabo VII, p. 306; Plin. n. h. IV, 14; Tac. Germ. 46; Zeuss p. 70; 126 sqq.; J. Grimm, Gesch. p. 321 sqq.; Wormstall, Tungern und Bastarnen. Münster 1868.

2) Neque enim dubito, quin Γαλάται C I Gr 2058 nominati sint iudicandi Bastarni.

3) V. Prob. 18, 1; Eutr. IX, 25; Oros. VII, 25. 12; Euseb.-Hieron. 2311; Zos. I, 71. 1.

4) Strabo VII, p. 305; 306; Ptolem. III, 5. 19.

5) Jord. 16, 91; v. Claud. 6, 2 = Zos. I, 42. 1.

6) Sozomenos IX, 5; Zos. IV, 34; Jord. c. 50.

7) C I Gr 2058.

8) Quae hodie Sereth et Pruth appellantur.

9) Ptolem. III, 5. 24; 10. 13; Zos. I, 31. 1.

10) V. Max. et Balb. 16. 3; v. Aurel. 30, 4; Aurel. Vict. 39. 43; Zos. I, 20; 12; 27; 31. 1; Jord. 16. 91; Euagrius h. eccl. V, 24; oracula Sibyllina (ed. Rzach) XIII, 141.

11) Aurel. Vict. 39. 43; Eutr. IX, 25; Euseb.-Hieron. 2311; Jord. Rom. 299.

quo facilius fieri potuit, ut Goti provincia illa potirentur. Praeter Germanos et Thraces coloni ex omnibus imperii Romani partibus arcessiti hanc provinciam incolebant.[1]) De Dacis ipsis liberis, qui trans provinciae fines sedebant, iam supra dictum est.[2])

Regionum denique quae a Daciae finibus usque ad Tanain pertinent circa a. 238 imperium tenebant Goti; trans Tanain autem liberi Alani habitabant.[3]) Goti ipsi erant divisi duas in partes[4]), in Grutungos sive Ostrogotos et Tervingos sive Visigotos, inter quos finis erat Tyras.[5]) E nomine Ostrogotae, qui rex, si Jordani fidem habere licet, temporibus Decii erat, intellegi potest, iam tum quam postea vulgatam invenimus divisionem fuisse.[6]) Illis quattuor nominibus Gotos primus, cum de invasione Claudio imperatore facta referret, significavit auctor v. Claud.[7]) Grutungorum autem et Tervingorum nomina, postquam Goti e Sarmatia profecti sunt, iam non inveniuntur.

Borani autem, Gepidae, Heruli, qui una cum Gotis in imperium Romanum incursiones fecerunt, utrum iam illis temporibus ad Pontum Euxinum pervenerint an postea Gotos secuti sint, certo non est diiudicandum.

III. De incursionibus a Gotis usque ad Decium mortuum factis.

Gotorum postquam omnis populus ad Pontum Euxinum pervenit et has regiones in potestatem suam redegit, longius in imperii Romani fines invadere coepit. Ac primum quidem eam partem provinciae Moesiae, quae trans Istrum est sita, aggressi sunt. Olbiam enim oppidum maxime ad septentrionem versus

1) Eutrop. VIII, 6; Jung, roman. Landschaften p. 379sqq.

2) p. 13. adn. 2.

3) Ammian. XXXI, 3. 1.

4) Zeuss, p. 406—410; Dahn, Könige II, p. 84; Urgesch. I, p. 227; Wiet.-Dahn I, p. 250sq.

5) Ammian. XXXI, 3; Zeuss p. 409sq.

6) Zeuss p. 408; Muellenhoff, Zeitschr. für deutsche Alterthumskunde, IX, p. 136.

7) V. Claud. 6, 2 lego, Muellenhoffium, Zeitschr. IX, p. 134 secutus: „Grutungi, Austrogoti, Tervingi, Visi.“

situm, quam iam antea appetiverant, et Tyram Goti primas expugnaverunt. Quorum oppidorum ultimi nummi Severo Alexandro imperatore percussi sunt [1]), qua de causa ea, si extremum ponimus annum, a. 235 deleta sunt. Quo Gotorum progressu Daci quoque et Sarmatae ad Daciam aggrediendam commoti esse videntur, sed eodem anno 235 victi sunt, quo Maximino nomen Sarm. max., Dac. max. est inditum.[2]) Autumno autem a. 237 Maximinus ipse Sirmium profectus magnum bellum paravit, quod gentibus trans Istrum habitantibus et fortasse Gotis ipsis quoque eo ipso tempore longius progressis inferre sibi proposuerat.[3]) Sed postquam Gordiani imperatores sunt declarati et Italia ab eo descivit, cum in Italiam proficisci esset coactus, Goti etiam tractus, qui cis Istrum erant siti, aggredi constituerunt. Anno igitur 238 a tergo tuti, quia oppida trans id flumen sita iam ab eis occupata erant, Istrum transgressi sunt una cum Carpis, quos tum in potestatem suam redegisse videntur. Oppidum Istrus sive Istropolis ab eis expugnatum et ita deletum est, ut centum quinquaginta annis post nondum se recreaverit.[4]) A quo impetu primo a Gotis maiore vi in imperium Romanum facto Dexippus „Σκυθικά“ coepisse videtur.[5])

Quia Istrus Maximo et Balbino regnantibus eversa est, hoc vere a. 238 factum esse consentaneum est. Cum enim a die sexto decimo mensis Julii constitutionum continua series a Gordiano III datarum incipiat, Maximus et Balbinus non post medium mensem Julium mortui sunt. Regnaverunt autem nonaginta no-

1) Koehne, musée Kotschoubey I, p. 87; Mommsen, C I L III, p. 147.

2) C I L XII, 5559. Anno 236 haec cognomina cum legantur C I L III, 3735; 3736; 3740; V, 8076, Maximinus ea non propter victorias a. 237 reportatas adeptus esse potest, ut Schiller I, p. 786 et Ranke, Weltgesch. III, p. 406 adn. 1. putaverunt; quae ad proelia in Dacia commissa haesito, an inscriptiones quaedam: C I L III, 3336; 3660; 4837; 5218 spectent; cf. Gooss, Progr. Schaessburg 1874. p. 68 adn. 190.

3) Herod. VI, 2, 9; v. Maxim. 13, 3—4.

4) cf. Ammian. XXIII, 8. 43 „Histros quondam potentissima civitas“; sed funditus oppidum illud deletum esse non potest, quia paulo post nummos, in quibus Gordiani III et Tranquillinae simulacra effingebantur, percussit. (Pick. I, p. 147; 178 sq.). V. Max. et Balb. 16, 3 Dexippus Istriam cum Istro confudisse videtur et loco Ἴστρου πόλεως sive Ἰστροπόλεως, quod apud Ptol. III, 10, 8 legimus, aut Ἱστροπόλεως, quod Plin. n. h. IV, 44 scribit, Ἱστρικὴν πόλιν scripsisse videtur.

5) cf. v. Max et Balb. 16, 3 „fuit et Scythici belli principium“.

vem dies, ergo ineunte mense Aprili electi sunt.[1]) Quae cum ita se habeant, dubitari non potest, quin Gordiani I et II mense Martio ineunte imperatores declarati sint. Octo autem dies opus sunt, quibus nuntius Carthagine Romam perferatur totidemque dies, quibus Sirmium perveniat, quod oppidum Roma 912 m. p. abest.[2]) Quattuor dies cunctatus[3]) Maximinus Sirmio profectus est, cuius discessu commoti, nisi omnia me fallunt, Goti Istrum aggressi sunt.

Quae invasio cum in Italiam nuntiata esset, Tullius Menophilus, dux bello iam probatus, qui una cum Crispino Aquileiam a Maximino prospere defendisset[4]), Moesiae inferiori praefectus est[5]), ut Gotos, ne amplius penetrarent, impediret. Eo ipso tempore Balbinus barbaris Istri accolis[6]), Maximus Persis bellum inferre constituerunt. Sed morte imperatorum illis consiliis eversis Menophilus, cum a Gordiano III admodum iuvene auxilium petere non posset, cum Gotis foedus iniit ex quo Goti annua acceperunt, captivos reddiderunt[7]), in fines suos reverterunt.

Quam longe hac invasione Goti processerint, non est traditum. Mommsen (l. c.) putat Marcianopolim[8]) et Philippopolim irrita obsidione tum temptatas esse. Sed Jordanes[9]) illius oppidi obsidionem in Philippi aetatem rettulit, qui scriptor quamvis non semper recte temporum ordinem explicaverit, tamen eo minus est, cur ab eo tradita recusemus, quod verisimilius est Gotos posteriore incursu ac non primo ad has regiones pervenisse. Quod

1) Chronogr. a. 354, Mon. Germ. IX, 1. p. 147. V. Gord. 23. 2 traditur, a. d. V. id. Apr. hoc factum esse, mortui igitur sunt a. d. VI. id. Iul.; cf. quae his de rebus scripserunt: Seeck, Rh. Mus. XLI (1886) p. 168; Ranke, Weltgesch. III, p. 409 adn. 1; Sadée, de imperatorum Romanorum III. p. Chr. n. saeculi temporibus constituendis. diss. Bonn. 1891 p. 8 sqq.

2) Stobbe, Philologus XXXII (1872) p. 63.

3) Herod. IV, 8.

4) Herod. VIII, 2, 5 = Joh. Ant. 146, 7; v. Maxim. 21, 6; v. Max. et Balb. 12. 2.

5) Petr. Patr. fr. 8 apud Muellerum. fr. h. Gr. IV p. 186 = Dind. I, p. 428.

6) V. Max. et Balb. 13. 5. In eos, scilicet in Gotos et Corpos, bellum esse paratum sentiunt et Tillemont III, p. 244; Schiller I, p. 796; Sommer, die Ereignisse des Jahres 238 und ihre Chronologie. Progr. Goerlitz 1888 p. 17. adn. 2.

7) Lapis a. 238 pro liberatione captivitatis haud dubie a milite leg. XI. Claudiae votus Silistriae in porta inventus est, Arch.-epigr. Mitteil. aus Oesterr.-Ungarn XVII (1894) p. 211.

8) 16, 92.

9) Cui Mommseni sententiae Pick I, p. 187 adn. 2 et 3; p. 193 sq. se applicavit; cf. p. 22.

praecipue ad Philippopolim trans Haemum sitam pertinet; quin ea, quae in Dex. fr. 19 de hac urbe oppugnata prolata sunt, ad Decii tempus spectent, omnino dubitari non potest; etiam quae relata sunt Dex. fr. 20 ei tempori adscribenda esse infra exponere in animo habeo.[1])

Illud autem bellum contra Istrum susceptum etiam Gordiano III imperatore esse gestum et legionem IV., quae in Moesia stativa habebat, eius participem fuisse, ex epistula illa ficta, quae v. Gord. 25,2 profertur, concludi non licet.[2]) Ac ne id quidem, quod Viminacium autumno a. 239 [3]) colonia facta est, ad hanc urbem tum esse pugnatum comprobare potest, neque enim habemus, cur Gotos, qui Istro expugnandae studebant, iam illis temporibus has in regiones progressos esse putemus. Immo vero quae de Viminacio traduntur idem probant ac Marcianopolis tum munita [4]), scilicet Menophilum, qui Gotos periculosos hostes esse cognoverat, id praeter cetera spectavisse, ut eas imperii regiones, quae eorum incursionibus maxime erant obiectae, melius tueretur.[5]) Quod arcus in nummo Marcianopolis Menophilo praeside effingitur non recte, opinor, Pick [6]) ad hanc urbem a Gotis a. 238 obsessam pertinere putat, nec similis nummus sub Caracalla percussus [7]) ad Marcianopolim ipsam appetitam, sed uterque ad Gotorum bellum bene finitum spectare videtur.

Menophilum Gordiano III imperatore Moesiae praefuisse Borghesi [8]) exposuit, scilicet inde ab anno 238 usque ad annum 240 [9]); sed eum a. 241 ineunte magistratu nondum se abdicasse

1) cf. p. 30.

2) Quae est sententia Joh. Muelleri, de M. Antonio Gordiano III. diss. Münster 1873 p. 16 sq.

3) Contra Eckhelium, qui II, p. 8 sq. id a. 240 factum esse putabat, Pick I p. 24 sq. hunc annum rectum esse demonstravit; cf. Eckhel VII p. 311; Mionnet, descr. des méd. I, p. 351 sq. nr. 1—10; Suppl. II p. 42 sqq. nr. 1—16; Cohen, Gord. III, nr 412—430; Pick I nr. 70—93. Bessel p. 117 et Schiller I, p. 709 falso a. 242 coloniam conditam esse scribunt.

4) cf. Pick I, p. 187. adn. 2; p. 194 sq.; nr. 1167—1170.

5) Eodem modo postea aliis quoque imperii locis a Gotis defendendis prospectum est; cf. e. c. p. 24 adn. 11; 26 adn. 8.

6) p. 187 adn. 2. et 3.; p. 193 sq.; 316; quae sententia a relatione nobis tradita dissentit, cf. supra p. 21 sq.

7) cf. p. 17. adn. 1.

8) Oeuvres II, p. 227 sqq.

9) Borghesi II, p. 231. adn. 1.

ex eo intellegi potest, quod Menophilus per tres annos [1]) imperium tenuit neque ante Aquileiam obsidione liberatam id est non ante mensem Maium anni 238 [2]) in Moesiam profectus esse potest. Quae cum ita se habeant, omnia, quae apud Wiet.-Dahnium [3]) hac de re proferuntur, reicienda sunt.

Carpi autem, irati ob foedus a Romanis cum Gotis ictum, legatos, qui et ipsis annua postularent, ad Menophilum miserunt. Qui multa eis pollicitus, ut quattuor post menses redirent, hortatus est atque eodem modo tribus mensibus intermissis, Carpos tertium tributum petentes reppulit. Qui, cum interea copias optime exercuisset Menophilus, per tres annos quibus Moesiae praeerat denuo fines Romanos aggredi ausi non sunt.[4]) Praeter Menophilum [5]) de imperio tuendo optime meritus est C. Furius Sabinus Aquila Timesitheus [6]), qui ab a. 241 [7]) socer Gordiani factus et ab eo praefectus praetorio nominatus [8]) disciplinam militarem correxit, arma atque castra inspexit, rei frumentariae providit [9]), vias muniendas curavit.

A. autem 242 Gordianus III ad bellum Persis inferendum profectus in Moesia barbarorum catervas, qui eas in regiones irruperant, vicit.[10]) Carpi haud dubie, cum Menophili praefectura esset finita, huius incursus erant participes, sed Goti num maioribus copiis illis adfuerint, quoniam quattuor annis ante foedus icerant cum Menophilo, dubium videtur. Alani vero usque ad Philippos progressi esse et imperatorem vicisse dicuntur.[11])

Quibus de pugnis certiores fieri videmur sepulcro Gordiani III [12]);

---

1) Petr. Patr. fr. 8.

2) cf p. 20 sq.; Prosopogr. III, p. 341, 281.

3) I, p. 197.

4) Petr. Patr. fr. 8.

5) cf. p. 22.

6) In v. Gord. appellatur „Misitheus"; de vero nomine cf. Eckhel. VII, p. 319; Hirschfeld, Untersuchungen auf dem Gebiete der röm. Verwaltungsgeschichte I. Berlin 1877, p. 236 sq.; Borghesi X, p. 127 sq.; Prosopographia II, p. 100 sq.

7) Eckhel VII, p. 318. Henzen, acta fratrum Arvalium p. CCXXIX; p. 117 sq.

8) C I L VI, 1611.

9) V. Gord. 28, 2; 3; Henzen nr. 5530 = Wilmanns, exempla nr. 1292.

10) V. Gord. 26, 4.

11) V. Gord. 34, 4.

12) V. Gord. 34, 3.

quod viginti milia passuum a Circesio afuisse traditur [1]); sed elogium „et Graecis et Latinis et Persicis et Iudaicis et Aegyptiacis litteris" (!) huic incisum nonnullis de causis suspectum est, neque dubitari potest, quin scriptor hanc inscriptionem ementitus sit, ut facetias proferre posset.

Post necem Gordiani III Philippo ab a. 244 ineunte imperatori facto imperii anno secundo cum Carpis, qui, ut pecuniam postulatam adipiscerentur, in fines Romanos invaserant, pugnandum erat.[2]) A. enim 245 [3]) contra eos profectus, postquam in itinere gentes Germanicas vicit [4]), Carpos pacem facere coegit.[5]) Hoc autem incursu Dacia maxime vexata videtur esse [6]); magnam enim incolarum copiam tum fugisse de multis nummorum thesauris ibi repertis colligi potest, in quibus nummi ad Pontem Veterem (hodie Roteturmpass) et ad Also-Ilosvam effossi usque ad Philippum pertinent.[7]) Fortasse tum temporis Galerii mater Carpos fugit.[8]) Ab hoc bello Philippus, postquam Romam rediit, a. 247 una cum filio magnificum egit triumphum [9]); sed Carpicus maximus, fortasse quia senatus auctoritatem anticipare nolebat, non ante a. 248 appellatus est.[10])

Dacia vero provincia ut pro meritis ei gratiam referret, praesertim cum etiam melius defendendam eam curaret [11]), novam temporum rationem ab a. 247 coepit.[12])

1) Eutr. IX, 2; cf. Ammian. XXXIII, 5. 7; 17; Epit. 27, 3; Zosim. III, 14. 2.

2) Zosim. I, 20; Joh. Ant. fr. 148; Zonar. XII, 19 (III ed. Dind. p. 131).

3) Eckhel VII. p. 322; Coh. 115; 116.

4) A. 245 appellatur Germ. max.: Eckhel VII, p. 323; Coh. V, p. 135 nr. 3.

5) Zosim. I, 20. 2.

6) cf. C I L III, 1054 „a Carpis liberatus."

7) Jung, Mittheil. des Instit. für östr. Gesch. 4. Suppl. Bd. (1893), p. 11. adn. 4. Mommsen, C I L III, p. 161 hoc forte evenisse censet.

8) Lactant., de mortibus pers. c. 9.

9) Cohen V, p. 110 nr. 158; 160; p. 138 nr. 11; p. 165 nr. 44; in nonnullis nummis Victoria Carpica legitur: Eckhel VII p. 323; Coh., Philippus nr. 238; Victoria: Coh. 225—233; 239; Victoria Augg.: 235—237, V, p. 139 nr. 15 et 16. Eam ad victoriam Bizyae quoque in Thracia sitae nummi spectant: Mionnet I, p. 375 nr. 77; II. Suppl. p. 237 nr. 190 sq.; the greec coins of the british museum, t. Thrace, p. 89 sq. nr. 8 et 10; cf. Weil, Z. f. Numism. VIII p. 102 sqq.

10) Eckhel VII, p. 323; Coh. V, p. 135 nr. 3.

11) E. c. Romula a. 248 munita, fortasse eo ipso tempore colonia facta est; C I L III, 8031; Tocilescu, Arch.-ep. Mittheil. XI (1887) p. 19 sq.; sed cf. quae profert Domaszewski, C I L III, p. 1421.

12) Eckhel II, p. 9 sqq. hanc aeram a kalendis Januariis a. 247 primor-

De aliis proeliis Philippo imperatore commissis nil certi memoriae est traditum. V. Gord. 31. 1 enim scribitur in imperium Romanum invasisse regem Scytharum Argunt, quod nomen e nominibus Argaithi et Guntherici compositum esse videtur[1]), quos Jordanes 16, 91 bello Philippo illato Gotis praefuisse docet. E verbis quae sunt „Scytharum rex“ colligi potest, scriptorem hoc loco Dexippum esse secutum.[2]) Quamquam ut falsi nominis culpa in scriptorem ipsum conferenda est, ita etiam falso loco illam rem posuit.[3]) Nam quod refert mortem Misithei quem dicit causam huius incursus fuisse, — quod si verum esset, eum Gordiano III factum esse comprobare poterat — ei rei non est magnum momentum tribuendum, quia in tempore definiendo non eodem Dexippo auctore usus est. A quo Gordiani III socer „Τιμησικλῆς“ appellatus esse videtur, quae nominis forma apud Zosimum I, 17. 2; 18. 2. haud dubie Dexippum secutum legitur; „Τιμησοκλῆς“ apud Zonaram XII, 18 e „Τιμισοκλῆς“ quod invenitur in Synopsi Sathae p. 36 enatum est, quae illud ex Zosimo hausit.[4]) At Jordanes 16, 91 illam invasionem, de qua v. Gord. 31. 1 agitur, Philippi temporibus adscribit. Cuius narrationem admodum confusam eis, quae de Marcianopoli condita profert, ex Ammiano Marcellino[5]) depromptam esse comprobatur, qui ipse Dexippo usus est.[6])

Philippus enim, victoria illa praeclarissima quam de Carpis adeptus est elatus, ne annua constituta Gotis solveret, recusavisse

dia cepisse putavit, sed Pick I p. 3sq. mensem Julium sive Augustum a. 246 eius initium fuisse comprobavit. cf. Mionnet I, p. 350 nr. 1; 2; II. Suppl. p. 33—37; Coh., Philippus 250—257; V, p. 171 nr. 92—96. Daciae rudes nummi utrum a barbaris, qui tum sive Gordiano imperatore hac in provincia agros acceperant, an a colonis iam antea ibi collocatis percussi sint, non potest diiudicari. Nummi Gordiano III imperatore signati apud Eckhel. VII, p. 316, Coh. 163; Philippo imperatore percussi apud Eckhel. VII, p. 329 = Coh. 38.

1) cf. quae Köpke, deutsche Forschungen p. 38, Muellenhoff in Jordane a Mommseno edito p. 146 s. v. „Argaithus“ hac de re scripserunt.

2) cf. Mommsen, Herm. XXV, p. 261 adn. 3.

3) Quod Peter in editione sua recte significavit.

4) Fere omnia, quae Zonaras de Gordiano III tradit, originem trahit e Synopsi Sathae: Zonar. XII, 18 ed. Dindorf III, p. 129, 28 — p. 130, 21 = Synops. Sath. p. 36. 20 — p. 37, 4.

5) XXVII, 4. 12.

6) Ut a Dexippo (fr. 18), Ammiano, Jordane Traiani soror falso nomine Marciae appellatur.

videtur [1]); neque vero finibus ab eis defendendis providit.[2]) Ostrogota autem, qui bellum optime paraverat, Gotorum exercitum, cui praeerant Argaithus et Guntheričus[3]), a. 247 in Moesiam inferiorem [4]) immisit. Qua provincia late vastata Goti Marcianopolim obsederunt, cui Maximus natione Thrax praefectus erat [5]); qui urbem a Menophilo optime munitam [6]) ita defendit, ut barbari, quibus neque usus aut peritia neque instrumenta ad obsidionem necessaria erant, infecta re redirent. Jordanes [7]) enim quod narrat, Gotos grandi pondere auri ab obsessis accepto discessisse, obtegere conatur, eos in oppugnanda urbe nihil profecisse.[8])

Quibus temporibus ut propter tributa viribus incolarum maiora in oriente ad Iotapianum imperatoris dignitas delata est, ita haud dubie propter calamitatem illo Gotorum incursu obortam Marinus Pacatianus, Pannoniae et Moesiae praefectus, imperator declaratus est.[9]) Qui tam inertem imperatorem se praebuit, ut paulo post a militibus necaretur.[10]) Goti autem ne longius progrederentur, prohibiti sunt a Gepidis, qui eorum fines aggressi sunt.[11]) Burgundiorum enim pars eo tempore a Vistula ad Pontum profecta esse

1) Si Jordani (Get. 16, 89) fidem habere possumus.

2) Zos. I, 23. 1.

3) V. Gord. 31. 1 „Argunt" Scytharum regem fuisse narrat, sed Jordanes 16, 91 Argaithum et Gunthericum, ipsos non reges, ab Ostrogota rege exercitui esse praefectos tradit. Quomodo Cassiodorus, Jordanis auctor, opus suum composuerit, inde colligi non potest, quia ei ipsi scr. h. Aug. loco minus fidei est attribuendum; sed cf., quae hac de re Bessel p. 117, Gutschmid, Kleine Schriften V, p. 238 iudicaverunt.

4) Haud scio, an Jordanes, quia in vicem „secundam Moesiam" falso „de secundo Moesiam" legit, ex una invasione duas fecerit, id quod censet Gibbon, the history of the decline and fall of the romain empire. I, p. 102. adn. f.; cf. Bessel p. 118.

5) Jord. 16, 92; Dex. fr. 18; cf. Dind. I, p. 179.

6) cf. p. 22.

7) 16, 92.

8) Quo Gotorum impetu haud scio an Philippus commotus sit, ut illarum regionum melius defendendarum causa Philippopolim colonia eo deducta confirmaret. Quod nummi coloniae sub Philippo percussi (cf. Eckhel. II, p. 44 = Mionnet. I, p. 419 nr. 359) eo imperatore factum esse comprobant, scilicet a. 248, cum tradat Eus.-Hieron. 2264: „Filippus urbem nominis sui in Thracia construxit"; cf. Zumpt, commentationes epigraphicae I. Berlin 1850, p. 435; Marquardt, Staatsverw. I, p. 316.

9) Zos. I, 20; 21; Zonar. XII, 19.

10) Zonar. XII, 19.

11) Jord. c. 17.

videtur, fortasse una cum Boranis et Herulis, qui paulo post incursionibus a Gotis factis interfuerunt. Itinere autem ad meridiem converso[1]) in Gepidas inciderunt, qui iam belli Marcomannici participes fuisse putari possunt, tum trans Carpatos[2]) habitabant. Burgundios autem a Fastida Gepidarum rege victos in Gotorum dicionem tum venisse nescio an inde conicere liceat, quod postea eos sequuntur.[3]) Quo successu quia erat elatus et novis agris egebat, Fastida bellum intulit Gotis, quibuscum ad Alutam pugnatum est.[4]) Unde concludi potest, quia Goti tum in provincia Dacia hoc flumen accoluisse non notum est, eo ipso tempore Fastidam bellum coepisse, quo eorum plurimi in Moesia pugnabant; qui de hoc certiores facti reverterunt et cum Gepidis obviam euntibus ad Alutam pugna concurrerunt. Gepidae autem victi in sedes suas redierunt, e quibus non multo post profecti sunt[5]); Jordanis temporibus regiones circa Tisiam et Marisiam sitas, quae fuerant antea provinciae Daciae, tenebant.[6])

Cum his rebus tum Marino imperatore declarato Philippus impulsus est, ut C. Messium Decium Traianum in ea loca mitteret, qui milites severa disciplina coercitos ad pristinam fidem reduceret.[7]) Qui postquam invitus hoc mandatum subiit, graviter in eos consuluit, qui Marini partibus studuerant.[8]) Quorum singuli certe exercitu relicto ad Gotos transierunt, unde nescio an Jordanis narratio originem traxerit, qua totum fere exercitum Romanum descivisse dicit.[9]) Ceteri autem milites, qui culpae essent conscii, ut commilitonum sortem vitarent, in Decium primo recusantem imperatoriam dignitatem detulerunt.[10]) Qui exercitu instructo contra Philippum profectus ad Veronam eum imperio et vita privavit.

1) Jord. c. 17; Kropatschek, de Gepidarum rebus p. 15sqq.

2) cf. Schafarik I, p. 431.

3) Zos. I, 27. 1; 31. 1, ubi Urugundos Burgundios esse iudicandos censeo; cf. Schafarik I, p. 422; Derichsweiler, Gesch. der Burgunden. Muenster 1863. p. 153 adn. 1; p. 154 adn. 16; Wiet.-Dahn I, p. 219; Mamert. genethl. c. 17; aliter sentiunt Zeuss p. 695 et Jahn, Geschichte der Burgundionen I, p. 29.

4) Jord. 17, 99.

5) cf. v. Claud. 6, 2; v. Prob. 18; Mamert., genethl. Max. 17.

6) Jord. 5, 35; 12, 73; 22, 113.

7) Zos. I, 21; Zon. XII, 19.

8) Zos. I, 21. 3.

9) Jord. 16, 90.

10) Zos. I, 21. 3; Zon. XII, 19.

Atque Decium a. 248 esse imperatorem declaratum e trib. pot. IV in C I L II, 4957; 4958 colligi potest; sed tabulis publicis tribuniciae potestates ab a. 249 sunt numeratae.[1]) Nummis Alexandrinis Decii, in quibus L*Γ* scriptum exstat, quod non sunt conservati[2]), eum ante diem XXIX. mensis Augusti a. 251 mortuum esse verisimile fit; ad tempus autem accuratius definiendum v. Val. 5, 4 nihil affert, quae hoc loco omnino nulla fide digna sit. Quare, cum scriptores in eo consentiant, Decium paulo minus duos annos imperatorem fuisse[3]), Philippum fere mense Augusto a. 249 ineunte necatum esse puto.[4])

Quibus rebus in imperio Romano gestis Goti denuo ad aggrediendos fines concitati esse videntur. Bello summa vi parato una cum finitimis gentibus[5]), e quibus Carpi nominantur[6]), in agros Romanos invaserunt. Quo de consilio certior factus Decius, fortasse iam a. 249, filium Herennium Etruscum Decium misit in Illyricum[7]), ut copias illic collocatas ad eos pellendos pararet; neque tamen proelia ante a. 250 commissa esse censeo. Decius vero ipse nondum ad bellum gerendum profectus est, quia Romae muros aedificandos curabat, ut tradit Aurelius Victor[8]), sed mea quidem sententia quod in Gallia seditio orta erat, quam ad comprimendam illuc iter fecerat.[9]) In Gallia nonnihil temporis moratus a. 250[10]) demum Gotos aggredi potuit.

---

1) cf. Mommsen, bull. dell'Inst. arch. 1865, p. 27 sq.; Schiller I, p. 803 adn. 3; sed Stobbe, Philol. XXXII, p. 67 et Sadée p. 34 has inscriptiones falsas esse sine probabili causa censent.

2) Sallet, die Daten der alexandrin. Kaisermünzen. Berlin 1870. p. 66 sq.

3) Quos enumerat Sadée p. 30.

4) Sadée p. 30 die X. m. Aug. eum esse mortuum censet.

5) Jord. 16, 21.

6) Lactant., de mortibus pers. c. 4.

7) Aurel. Vict. 29. 1; cf. nummos, in quibus „Exercitus Inlyricus“ legitur apud Eckhel. VII, p. 344; Coh. 37; 38; 70; „Genius Illyrici“ et „Genius exercitus Illyriciani“ apud Eckhel. VII, p. 344; Coh. 43—69; V, p. 216 nr. 6.

8) 29, 1.

9) cf. Eutrop. IX, 4; fortasse huc spectant Decii nummi, in quibus legimus „Victoria Germanica“ apud Eckhel. VII, p. 345. Coh. 122; Hostiliani apud Eckhel. VII, p. 352; Coh. V, p. 233 nr. 70; Herennii apud Eckhel. VII, p. 349; Coh. V, p. 221 nr. 41. Schiller I, p. 805 adn. 6 putat eos ad Gotos pertinere, qui tamen Germani non appellantur.

10) Decio Roma digresso a. 250 Valens quidam tumultum molitus est (Vict. 29, 3); in inscriptione enim hoc anno incisa (CIL XI 3088) Deciorum

Hoc tempore illis praefuit rex Cniva, qui exercitum duas in partes diviserat, quarum alteram ad Moesiam vastandam misit, alteram, quae erat septuaginta milium militum, ipse Novas paulo supra Iatri ostium sitas duxit, cui oppido Trebonianus Gallus auxilio venit. Goti autem secundum Iatrum contra Nicopolim firmissimam urbem iter fecerunt, in quam etiam Gallus, ut videtur, se receperat.[1]) Quam dum Cniva obsidet, alter illorum exercitus Moesia vastata ad meridiem profectus Philippopolim oppugnavit. Singuli autem eorum greges Thraciam et Macedoniam pervagati sunt.[2]) Interea Decius Gallico tumultu sedato, ut illis de regionibus hostes depelleret, adventavit; et cum Goti urbium obsidendarum non essent periti, tempus nactus est, quo provincias finitimas ab hostibus defendendas curaret. Recte autem cum quanti esset momenti his ipsis temporibus Thessalonice intellegeret, ad eam firmandam coloniam misit.[3]) Graeciam vero ut tueretur, Decius Thermopylas firmari iussit praesidio, cui admodum iuvenem M. Aurelium Claudium, qui postea imperator factus est, praefecisse dicitur.

Quae res quamquam litteris[4]) per se minore fide dignis est tradita, tamen, et quia Decius aliarum quoque provinciarum saluti prospexit, et quia invasione a. 253 facta it·rum statim in Thermopylis praesidia collocata sunt, non ficta mihi esse videtur.

Deinde ut Daciam a Carpis ingressis[5]) liberaret, hanc in provinciam copias misit, quae rem bene gesserunt[6]); Decius ipse

---

nomina erasa sunt, quod Mommsen, bull. dell' Inst. arch. 1865 p. 27 sq. seditione illa esse effectum censet.

1) Jord. 18, 101.

2) Vict. 29, 2. Thessalonicen tum esse obsessam putant Hertzberg, Griechenland unter der Herrschaft der Roemer. Halle 1875 III, p. 147 et Mommsen V p. 219, sed Ammianus, quo auctore nituntur, non ad bellum Decio imperatore gestum spectat (XXXI, 5. 16).

3) cf. Mionnet III. Suppl. p. 165 sq. nr. 1073—1075; the greec coins in the britisch museum, t. Macedonia p. 128; cf. Tafel, de Thessalonica eiusque agro Berlin 1839. p. XXXVIII; Mommsen, Arch.-epigr. Mitt. XVII (1894) p. 118. Marquardt, Staatsverw. I, p. 320 Eckhelium II, p. 80 secutus falso putat Valeriano imperatore coloniam deductam esse.

4) V. Claud. 16.

5) Lactant., de m. pers. 4. 3.

6) Nomen Dac. max. ei inditum est: C I L II, 4957; 4958; in inscriptione a. 250 Apuli incisa (C I L III, 1176) Decius restitutor Daciarum appellatur. In nummis legitur Dacia apud Eckhel. VII p. 343; Coh. 12—29;

contra Cnivam profectus eum ad Nicopolim vicit[1]), qua in pugna triginta milia Gotorum necati esse dicuntur.[2]) Qua re ille a Nicopoli obsidenda decedere coactus in Haemum se recepit[3]), ut alterum exercitum, qui Philippopolim oppugnabat, secum coniungeret. Decius autem magnis itineribus Philippopolim contendit[4]) litteris ad L. Priscum eius urbis praefectum missis, quibus ut fortiter urbem defenderet eum cohortatus se ipsum splendidissimam victoriam ad Nicopolim adeptum brevi eo perventurum esse docuit.[5]) Quare cum Romanorum animi essent confirmati, Goti fama de Cniva victo et de Decio adveniente allata Philippopoli abierunt[6]) et cum rege se coniunxerunt. Qui ad Beroeam, quod oppidum ad Haemi fauces situm est, Decium inopinantem adortus tantam ei attulit cladem, ut Goti, ne longius progrederentur, prohiberi non possent.[7]) Tunc vero Cniva iterum Philippopolim aggressus Prisci proditione cepit, qui imperator declaratus contra Decium se pugnaturum pollicitus est.[8]) Qua in urbe centum milia hominum eorumque multi nobiles et magnae divitiae in Gotorum potestatem venerunt.[9]) Sed dum Goti longe lateque agros Romanos diripiunt, Decius in Moesiam se receperat et Gallo secum coniuncto[10]) exercitum de integro ordinatum a tergo eorum collocaverat, ut eos reditu intercluderet. Quo commoti illi redierunt et frustra cum Decio de pace egisse[11]) dicuntur. Ad Abrytum aut Forum Sempronii[12]) in regione, quae hodie Dobrudscha

V. p. 206 nr. 1 et Dacia Felix apud Eckhel. VII, p. 343; Coh. 30—36. Fortasse Apulum tum est iterum colonia missa: Col. nova Apulensis C I L III 1176; cf. Gooss., Progr. Schaessburg 1878. p. 56.

1) Jord. 18, 101; Dex. fr. 19.

2) Sync. p. 705.

3) Jord. 18, 101.

4) Jord. l. c. Ea urbs paulo ante a Philippo colonia confirmata erat; cf. p. 26. adn 8.

5) Dex. fr. 19. Priscum illum esse eundem ac fratrem imperatoris Philippi, Schiller I, p. 806 adn. 3 sine ulla causa idonea opinatus est.

6) Dex. fr. 20.

7) Jord. 18, 101.

8) Jord. 18, 103; Victor. 29, 2; Polemius Silvius laterc., Mon. Germ. IX, 1 p. 521.

9) Ammian. XXXI, 5. 17; Zos. I, 24. 2.

10) Jord 18, 102; 103.

11) Zon. XII, 20.

12) Hierocles p. 636 et Prosper Aquitanus a. 251 tradunt hoc oppidum in

nominatur, haud procul a magna palude Decius eis obstitit; Gallo Istri ripas custodiendas commiserat, ne victi effugerent. Sed iterum Goti a proditore adiuti sunt; Gallus enim clam cum hostibus de Decio necando et imperatoris dignitate in ipsum deferenda tractavit. Ac primum quidem pugna oborta, quamquam initio Decius Herennius iuvenis necatus est [1]), Romani prospere pugnaverunt, sed postquam a Gallo, ut Gotos trans paludem collocatos aggrederetur, illectus est, Decius in eam immersus mortuus est, et una cum eo magna pars Romanorum barbarorum telis interfecti sunt; corpora autem imperatoris eiusque filii ne reperiri quidem potuerunt.[2]) Quae pugna circa ineuntem mensem Augustum a. 251. commissa est.[3])

Omnium optime de hoc bello Syncellus scripsit secutus Dexippum, qui idem per Ammianum Jordanis auctor fuit[4]); Zosimus autem Dexippo parum diligenter usus est. Quod ab illis omnibus aliquantum dissentiunt, de pugnae loco nihil proferunt, corpora vero imperatorum reperiri non potuisse soli contendunt, Georgius. Leo, Cedrenus, Zonaras ab uno eodemque, haud dubie Petro Patricio, belli descriptionem repetivisse cognoscuntur.

Decius igitur, qui ad imperium Romanum a Gotis defendendum unus erat idoneus, primus imperator pugna cum barbaris commissa necatus est; milites autem C. Vibium Trebonianum Gallum, qui suos prodiderat, imperatorem declaraverunt; qui turpissimis condicionibus cum Gotis pacem pepigit, qua iis liceret praedam et

Moesia fuisse, accuratius scribit Procopius, de aedificiis IV, 11 p. 308 id in Scythia minore fuisse; cf. Tomaschek, Pauly-Wissowa, Real Enc. I, p. 116.

1) Victor 29, 5; Jord. 18, 103.

2) Euseb., or. ad sanct. coet. c. 24 pugnam in barbarorum finibus esse factam scribit; quocum consentiunt Vict. 29, 4; Eutr. IX, 4; Oros. VII, 13. 3. Quod I, 23 Zosimus Romanos et Gotos ad Tanain pugnantes facit, Dexippo minore diligentia usus esse videtur, qui fortasse Gotos a Tanai profectos esse rettulit. Praeter quos cf. Chronogr. a. 354; Ammian. XXXI, 13. 13; Euseb.-Hier. 2268; Epitome 29, 3; Jord 18, 103; Rom. 284; Prosper Aquitanus a. 251; Cassiod. chron., Mon. Germ. IX, 2. p. 147; Chron Paschal. I, p. 505 (ed. Bonn.) a. 253; Nikephoros chron. p. 748 (ed. Bonn.) „ἐν τῷ φόρῳ"; Georg. Monach. p. 359 (ed. Muralt); Leon. Grammat. p. 76 (ed. Bonn.); Cedren. I, p. 453 (ed. Bonn.); Zon. XII, 20; omnino refutanda sunt, quae profert Synopsis Sathae p. 37; cf. et Commodian., carmen apol. v. 809 sqq.

3) cf. p. 28; Sadée p. 32 putat a. d VI. kal. Aug. id esse factum.

4) cf. quae apud utrumque de Nicopoli condita dicta sunt; cf. p. 25 adn. 6.

captivos omnes, quorum plurimos Philippopoli ceperant[1]), secum ducere; praeterea Gallus annua denuo se soluturum, barbari autem, se in futurum fines Romanos non aggressuros et de Dacia, quam quidem occupavissent, decessuros promiserunt.[2]) Quae pax quamquam probro atque dedecori erat Gallo, tamen a. 252 Romae videtur triumphum egisse.[3])

---

1) cf. p. 30.

2) Nummo Volusiani apud Coh. V. p. 269 nr. 30 inscriptum est Dacia; cf. de pace Zos. I, 24; Jord. 19, 106; Zon. XII, 21; cf. Sync. p. 705.

3) Adventus Aug. et Adventus Augg. in nummis apud Eckhel. VII, p. 355, Coh. 1—5; V, p. 265 nr. 8; p. 266sq. nr. 1—3 descriptis legitur; v. praeterea Eckhel. VII, p. 356; Coh. nr. 97.

VITA.

Natus sum Augustus Emilius Bruno Rappaport die IV. m. Nov. a. h. s. LXXV Berolini patre Adolfo matre Alma e gente Naumann. Mater vidua facta me puerum sextum annum agentem sola educavit, donec a. LXXXVIII viro optimo ac doctissimo Carolo Rothe nupsit, cui, quia patris munere in me summo amore ac peritia fungitur et studiis meis non minus quam mater favet, pium animum semper habebo. Fidem profiteor evangelicam.

In oppido Saxo-Borussico, cui nomen est Koesen, eruditus ibique litterarum elementis in Raabii v. d. ludo privato imbutus puer tredecim annorum in scholam Portensem receptus sum, quae tum D. Volkmanni v. d. auspiciis florebat. Cui scholae clarissimae eiusque praeceptoribus in perpetuum sum devinctus. Vere a. XCV maturitatis testimonio instructus universitatem Berolinensem adii ibique per octo semestria historicis et philologicis studiis incubui. Docuerunt me viri doctissimi Breysig, Diels, Harnack, Hirschfeld, Huebner, Kekulé de Stradonitz, Koehler, Lenz, Liesegang, de Richthofen, Scheffer-Boichorst, Schiemann, J. Schmidt, Spannagel, Stumpf, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff, Winckler.

Exercitationibus benigne aditum mihi praebuerunt Diels, Helm Hirschfeld, Koehler, Kretschmer, Thomas. Praeterea Scheffer-Boichorstii benevolentia factum est, ut seminarii historici per biennium essem sodalis; seminario psychologico, quod a Stumpfio regitur, interfui per sex menses; ad exercitationes proseminarii philologici per ter sex menses benevolentissime me admiserunt Diels et de WilamowitzMoellendorff.

Quos omnes viros optime de me meritos, potissimum eos, qui ad exercitationes aditum mihi concesserunt, grato semper colam animo. Maximas vero gratias Hirschfeldio debeo, cuius doctrina ac benignitate in studiis meis per omnia haec semestria egregie adiutus sum.

Sententiae Controversae.

I.

Zos. I, 16. 1 Non. „τῶν δὲ βίᾳ χειμῶνος ἐν τῷ πλεῖν ⟨cod. Paris. πεῖν⟩ ἀπολομένων" sed „τῶν δὲ βίᾳ χειμῶνος ἐν τῷ πολεμεῖν ἀπολομένων" esse legendum puto.

II.

Falso Mendelssohn ed. Zosimi p. XXXIII sqq. et Wachsmuth, Einl. in die alte Gesch. p. 675 negaverunt Zosimum Dexippi chronicis usum esse.

III.

Scipionem non m. Iunio ineunte (cf. Mommsen, Roem. Gesch. I p. 583 adn.) sed m. Iulio exeunte a. 218 ex Italia profectum esse censeo.

IV.

Valerianum ipsum profugam exercitum suum prodidisse falso Syncellus p. 715 (ed. Bonn.) memoriae prodidit.

V.

Henrici IV imperium maxime severitate, qua Henricus III in principes usus erat, labefactatum est.